

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Historia apum

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

fi iam taceremus, deseruisse & abiecisse causam ne  
 cessariam iudicaremur. Sed in ipsis controuersijs  
 sunt quedam, de quibus cuperem cum amicis collo-  
 quit Miito Synodi orationes: in quibus & illa est,  
 quam Vitus coepit excudere, quæ ex hoc archety-  
 po absolui poterit. Et addemus querelam πειρι γον  
 τας διαφθεσις των κτην αυθεντιας. Be-  
 ne uale. Datæ Seruæstæ, Die 26 Martij, quo ante  
 annos 1514. filius Dei in sepulchro fuit. 1547.

### Historia apum.

Initio ueris circa æquinoctium eximuntur ex al-  
 ueis mella superiore æstate facta. Nam in his regio-  
 nibus, quicquid est mellis in æstate factum, totum  
 relinquitur in alueis in hyeme. Alibi pars eximi-  
 tur. Sed dicunt, apes spoliatas tristiores fieri. Ideo  
 hic totum eis relinquitur, ut integro suo labore  
 fruente, in hyeme minus sint sollicitæ. Exempto  
 melle, quia domuncula in eximendo laceratur, pri-  
 mus labor est cellulas reficere, ad quod ceras tunc  
 faciunt. Domibus refectis, adferunt rorem: cui in-  
 cubantes, nouam sobolem gignunt: quia multe pe-  
 reunt uarijs malis. Curam igitur quotannis habent  
 generis constituendi. Postea nouas cellulas consti-  
 tuunt, & noua domicilia educunt, & colonias fa-  
 ciunt. Quartò, in Maio florentibus pomis col-  
 ligunt dulcẽ succum, hic primum incipit mellifica-  
 tio.

tio. Recte igitur Aristoteles de Eliaco ortu intelligitur. Mellificatio durat, donec habent trifolium: id est, usque ad Augustum. Nihil hic eximitur tota estate uel hyeme, usq; ad uernum æquinoctium. In Autumno ipsæ apes mira arte obstruunt foramina alueorum. Præcipuè delectantur & alliciuntur odore melissæ. Si quis alueolos conspergat aqua destillata ex melissa, auidissimè aduolant. Ideo Virgilius dixit, Melissphylla. Fugantur ab absinthio. Habent hostes, uestras, culices, tineas, mures. Et mira fortitudine possunt mures interficere. Fuci non nocent eis, nisi uoracitate. Sed uestræ pungunt eas. Viuunt octênium, & non amplius. Nec manent incolumes, nec feliciter faciunt operas apud iniustos possessores.

Illustris. & reuerendissimo Principi ac domino, D. Georgio principi in Anhalt & Ascania, coadiutori Ecclesiasticæ gubernationis in Mersburg, domino suo clementissimo,

S. D.

III, 12.

Illustrissime & reuerendissime Princeps, hoc anno celebratur Pascha 3056, inde usq; ab exitu Israelitarum ex Aegypto: tot seculis seruauit Deus Ecclesiam suam, & Ecclesie uocem de filio Dei, & uero animo mirandis modis seruabit deinceps. Quare etiam si